Reel Contents

1. Leske / Homeri versionem germanicam non esse probandam ...
2. Magdeburg / De Polybii re geographica
3. Loers / De tribus P. Ovidii Nasonis Fastorum codicibus manu scriptis
4. Harles / De praeconum apud Graecos officiis
5. Loeschhorn / Quaestiones lyricae et tragicae
6. Knos / Vita Demosthenis
7. Ludwig / De jure adcrescendi : dissertatio I
8. Lobeck / De compositione substantivorum : dissertatio I
9. Lobeck / De dodecatheo P. II
10. Lobeck / De adjectivorum motione anomala : diss. IV

Reel Contents (2)

11. Lobeck / De nominibus in [ma] exeuntibus : dissertatio secunda
12. Lobeck / De syllabis duplicatis tertia : Contin. [Sec.] 7
13. Lobeck / De syllabis duplicatis tertia : Contin. [Sec.] 8
14. Lobeck / De prosthesi et aphaeresi consonantium dissertatio tertia
15. Lobeck / De vocabulorum graecorum metathesi : pars altera
16. Lobeck / De terminationum tertiae declinationis … dissertatio quarta
17. Lobeck / De diphthongis impropriis : pars altera
18. Heumann / Vereinzelte Beiträge zur Kenntniss der mustergültigen ...
19. Lueder / De abolitione paschali, maxime de quaestione utrum illa ...

Reel Contents (3)

MASTER
NEGATIVE
NUMBER

00-0231.1

COPYRIGHT STATEMENT

AUTHOR: Leske, Nathaniel Gottfried

TITLE: Homeri versionem germanicam non esse probandam disseritur

PLACE: Lipsiae

DATE: [1772]

BIBLIOGRAPHIC RECORD TARGET

The Classics Library
University of Illinois at Urbana-Champaign

CIC 6 / NEH Dittenberger-Vahlen Microfilming Project

Storage Number : 00-0231.1

Leske, Nathaniel Gottfried.
Homeri versionem germanicam non esse probandam disseritur / Nathanaele Godofredo Leske.
Lipsiae : Langenhemia, [1772]
xvi p. ; 21 cm.

1. Homer. I. Title.

Language: Latin.

OCLC: nc

Technical Microfilm Data

Microfilmed by
Preservation Resources
Bethlehem, PA

On behalf of
The Classics Library
University of Illinois at Urbana-Champaign
Urbana, IL

Film Size:	**35mm microfilm**
Reduction Ratio:	11 **: 1**
Image Placement:	**IA (IIA) IB IIB**
Date filming began:	12-9-02
Camera operator:	K. Jones


STATEMENT ON DUPLICATE IMAGES


This reel of microfilm contains material which has paper color changes, stains, or illustrations (some of which may appear on pages mixed with printed text). In order to ensure that all text and illustrations are legible, exposure settings must be changed. Therefore, when text and illustrations exist in a single image or when material backgrounds differ, such frames may need to be exposed twice.

The first exposure reflects the camera operator's best effort to capture the majority of the text; the second exposure reflects the camera operator's best effort to capture illustrative material or the remaining text. It is hoped that this practice will result in a microfilm product that fully serves the needs of most researchers.

A4


150 mm





A5


100 mm







PM-MGP
METRIC GENERAL PURPOSE TARGET
PHOTOGRAPHIC

PRECISION℠ RESOLUTION TARGETS



A & P INTERNATIONAL
715/262-5788 FAX 262-3823
577 LOCUST ST.
PRESCOTT, WI 54021








1.0 mm
ABCDEFGHIJKLMNOPQRSTUVWXYZ
abcdefghijklmnopqrstuvwxyz1234567890

1.5 mm
ABCDEFGHIJKLMNOPQRSTUVWXYZ
abcdefghijklmnopqrstuvwxyz1234567890

2.0 mm
ABCDEFGHIJKLMNOPQRSTUVWXYZ
abcdefghijklmnopqrstuvwxyz
1234567890





2.5 mm
ABCDEFGHIJKLMNOPQRSTUVWXYZ
abcdefghijklmnopqrstuvwxyz
1234567890

EPISTOLA

QVA

VIRVM NOBILISSIMVM AC DOCTISSIMVM

CAROLVM GODELOBVM MÜLLERVM

KAYNAVIA-ZIZENSEM

EX

LIPSIENSI ACADEMIA

DECEDENTEM

VOTIS PROSEQVITVR

COLLEGIVM DISPVTATORIVM

SVB PRAESIDIO

VIRI CLARISSIMI

IOANNIS CAROLI ZEVNE

BONAR. ARTIVM MAGISTRI

INTERPRETE

NATHANAELE GODOFREDO LESKE

MVSKAVIA-LVSATO

MEDICINAE CVLTORE.

Homeri Versionem Germanicam non esse probandam disseritur.

LIPSIAE

EX OFFICINA LANGENHEMIA.

VIRO
NOBILISSIMO ET DOCTISSIMO
CAROLO GODELOBO MVLLERO
S. D. P.
SVIS SODALIVMQVE VERBIS
NATHANAELIS GODOFREDVS LESKE

Quum nihil omnino sit in hoc rerum vniuerso, quod firma atque stabili permaneat constantia; nec nostram, AMICE, fore coniunctionem perpetuam, diu iam dolens intellexi. Nihilo tamen secius subitaneus hicce TVVS a nobis discessus maximo me perfundit moerore. Quae enim, si tam caro atque praestante amico caruero, mihi sint euentura damna, omnia praesentio: cum non vulgaris illa, sed propria quaedam inter nos adhuc intercesserit amicitia. Quodsi enim, quod Philosophi docent, verum est, at est verissimum, *conciliatricem amicitiae virtutis esse opinionem;* hinc, cum TE et probitate morum et animi sinceritate, non mihi solum, sed etiam omnibus qui TE nouerint, probatissimum praebueris, facile intelligitur, cur ego, caeterique quibuscum vna fuisti, semper TE fecerimus tanti. Cui animi TVI integritati, cum eximia quaedam ingenii atque iudicii vis excellentiaque accessisset, qua quemlibet TVORVM aequalium non solum aequares sed etiam longe superares, nulla non, qua TEcum versaremur fuit hora, quin a TVO meliores doctioresque discederemus sermone. Ingenii enim vim atque iudicii acumen a natura acceptum, omni semper diligentia adhibita, et praeceptorum praestantissimorum disciplina, et optimarum artium studio, magis magisque perficere dudum institueras. Quare, etsi animum appuleras ad Theologiam inprimis discendam, cuius in studio non parum TE profecisse constat; multum tamen abfuit, vt stultitiam aut vanam superstitionem quorumdam probares, qui litteras humanitatis a Theo-

logi ſtudio quam maxime abhorrere ſomniant, vt TV potius iſtam peſtem, quae nunc quibusdam in locis ſcholas Theologicas infeſtare dicitur, ſemper deteſtareris, et, magnorum exemplis virorum incitatus, haud mediocrem artibus liberalibus dares operam, ratus, neminem, niſi illis imbutum, libros ſacros vel recte intelligere vel aliis interpretari poſſe. Cum hoc ſtudio philoſophiae cognitionem coniungendam putaſti, non tam vulgaris illius ieiunae, quamquam nec illam quidem neglexiſti, quam popularis illius, quae ex Graecorum Latinorumque libris diſcitur, nec perſpicuitatem et ſuauitatem eloquentiae a ſapientiae ſubtilitate et ratione ſeiungit. Itaque inſtructus hac non vulgari doctrinae ſupellectili, oris ſuauitate et ſingulari dicendi atque diſſerendi elegantia et ſubtilitate ad noſtram cum acceſſiſſes ſocietatem: ſubinde nobis feciſti copiam, ex TVAE ſapientiae vbertate fructus vtilitatis laetitiaeque percipiendi non exiguos. Ad has ingenii artisque virtutes, cum ſingularis quaedam probitas animi et modeſtia acceſſiſſet, vt, cum praeſtares facile, ſeruares tamen aequitatem, atque lubens diſceptatione vinci TE, ſi vel victor eſſes maxime patereris, princepsque eſſe malles, quam videri: ſatis intelligi poteſt, quo TVA nobiſcum conſuetudo fuerit praeſtantior et gratior, eo grauiorem ac iuſtiorem noſtrum ex abitu TVO eſſe cenſendum dolorem. Verum tamen noli putare, nos eam committere repugnantiam, vt, cum TE vere amemus, de TVIS doleamus commodis. Si enim, quod vulgo dicunt, verum eſt, *amicorum omnia eſſe communia*, felix ea, quae TE exſpectat, ſors; laetitiam nobis communem excitet oportet. Quapropter ego, id quod vltro concupiſcebam, iuſſu ſociorum meorum officium, idque mihi longe gratiſſimum, gratulandi TIBI animo admodum hilari in me ſuſcepi, vt ita, et animi mei erga TE propenſionem TIBI publice oſtenderem, et in vltima hac valedictione remedium quoddam vulneris mihi inflicti forte inuenirem. Gratulamur igitur TIBI, VIR PRAENOBILISSIME, felicem TVVM ex Lipſia deceſſum, praeſertim cum virtus TVA nobis ſpem faciat maximam, fore, vt curriculo ſtudiorum Academicorum iam recte et honeſte confecto, praemiis ornetur haud ſpernendis. Etenim cum ſemper omni id egeris ſtudio, labore et cura, vt olim Eccleſiae ac Reipublicae prodeſſes quam plurimum: merita TVA non poteſt non ſequi ea rerum conditio, qua omnibus votis potiaris, et quae, cum animo ſit exoptatiſſima, tum corporis viribus accommodatiſſima. Nam ea, quae animi anguſti et parui ſunt, amare diuitias cupere

pere otium atque voluptates, in animi TVI altitudinem non cadunt, qua, quae eximia plerisque et praeclara videntur, parua ducis, nec aliis, quam, quae animi magni et excelsi sint, studes. Sortem, in qua tranquillitas animo, et securitas corpori adsit, quae afferat cum constantiam tum etiam dignitatem, omnium reor esse dulcissimam. Quae, vt TIBI contingat, tantum abest, vt anxii et dubii optemus, vt potius certe eam speremus, et animo laeto praeuideamus.

Quamquam vero TVA virtus maiores laudes meretur: vereor tamen, ne, si illas vlterius prosequi coner, modestiam, quae in TE haud vulgaris cernitur, offendam, et aliquid suscipiam, quod parum meis conueniat viribus. Malo itaque virtutes TVAS praedicari ab aliis, me laude multum clarioribus. Caeterum nos nostrum erga TE studium et amorem factis potius, vbicunque fieri possit, quam verbis ostendendi cupidos esse, TIBI persuadeas velim. Quocirca missis communibus amicitiae significationibus, ad illud, quod nos coniungit, litterarum vinculum accedam, atque ex tam amplo deliciarum campo, quaedam, quae factae inter nos societatis, memoriam seruent, deligam; vt, et ego paullo diutius TEcum queam colloqui, et caeteri, si modo fieri potest, quantum TVA mihi profuerit societas luculentius cognoscant.

Cogitanti autem mihi materiam, quae, et TIBI non displiceret, et vires meas non prorsus excederet, occurrit trita illa admodum atque communis quorundam nostrorum sententia, qua cum praestantissimos quosque veterum Graecorum et Latinorum auctores, quos classicos vocant, in sermonem patrium transferendos esse censent, tum praecipue Homerum, principem facile poëtarum, omni opera interpretandum arbitrantur. Quodsi, qua ratione olim Ciceronem in Platonis Aristotelisque libris vertendis, aut in Homero, Hesiodo, Theocritoque interpretando Virgilium, atque nostra aetate Mendelssohnium in Platonis Phaedone transferendo vsos esse videmus, eamdem quoque nostris hominibus, in quibus tantus vertendi pruritus inest, placere intelligeremus: forte non haberemus quod reprehenderemus, et ipsis, ne facerent, interdictum putaremus. Verum cum vulgo censeant, veteres plane sic vertendos esse, vt verterit Cicero Arati Phaenomena, et inprimis Homeri carmina, ita in Germanicam linguam transferenda, vt, si Graeca, Gregoriorum furore et stultitia nobis erepta et deleta fuissent omnia, Germani haberent, vnde Homerum sibi plane restituerent Graeci: eiusmodi consilium non modo vanum et superuacaneum esse iudicamus

mus, sed etiam, si vel maxime ad finem possit perduci, praeter puerilem quamdam exercitationem, nihil habere commodi, quod ad alios possit redundare, immo alia afferre damna multo grauiora. Caeteris praetermissis, de Homero solo videbimus, cuius perfectam et suis numeris absolutam interpretationem germanicam non omnino esse exspectandam, eamque, si fieri possit non modo superuacaneam esse, sed etiam damnum afferre, in praesentia ostendere animus est. Quod argumentum, vt TIBI non iniucundum, ita nec omni vtilitate destitutum fore arbitramur.

Saepe et multum cogitanti, quare tantum studium veteres certatim vertendi nostris hominibus hac aetate inprimis insit, temerene Gallos, vt in victu cultuque, ita etiam in hoc studiorum genere imitentur, an rationibus quibusdam ducti id operam dent, mihi quinque inprimis rationes occurrerunt, quae cum specie veritatis aliqua dici posse viderentur. Volunt enim vel *sibi*met ipsi consulere isti interpretes, vt comparent famam, aut famem, qui grauissimus interdum scribendi magister solet esse, sedent et compescant, et liberales adeo artes ad lucrum admodum illiberalem trahant; vel *aliorum* rationibus prospicere, qui, aut ob genus vitae litteras Graecas non discere potuerint, aut ob ignauiam fugamque laboris cognoscere noluerint; vel *sermonis* patrii rationem habere, vt verbis rerumque imaginibus et sententiis locupletetur; vel gloriolam quamdam *Germanis* reconciliare, vt hi habeant, quod apud exteros frustra adhuc quaesieris; vel denique id agunt, vt studium Graecarum litterarum, quod plerisque vanum et superuacuum videtur, quantum in ipsis est, omne exstinguatur, idque tempus quod illi est impendendum, vtilius, scilicet, consumatur in *altioribus*, quas vocant, disciplinis. Quid igitur de his rationibus statuendum nobis esse videatur, breuiter ostendere conabimur.

Qui non nisi nomen laudemque ingenii magni, in Principe ingeniorum Homero transformando, sibi quaerunt, eos vanae gloriae cupidos esse existimo, consiliumque ipsum minime laudandum. Nam quamquam, si verum nobis effecissent Germanicum Homerum, laus singularis ingenii ab illis non abesset: cum tamen res ipsa inter *ἀδύνατα* sit referenda, atque optima quaeque versio plus obsit quam prosit publicae caussae, vti infra docebimus, consilium istorum tamquam stultum, temerarium, et improbum est condemnandum. Etenim recte praecipiunt Philosophi, nihil esse honestum et laude dignum existiman-

ſtimandum, quod a publicae vtilitatis rationibus ſit ſeiunctum. At certe, inquiunt, diligenter legendo Homerum, ſedulo contemplando, et in varias quaſi formas transmutando, donec efficiatur verſio, quae Graeca plane exprimat, interpretis cognitio mirifice augetur, et formatur ingenium ad excellentiam vimque ingenii Homerici. Hoc conſilium quidem per ſe vituperandum non eſt, dummodo intra fines exercitationis contineatur puerilis, qualem vulgo praecipiunt dicendi magiſtri. Verum, quid inde ad caeteros redundet commodi, nondum video, ob quod tantopere illud ſatis probari poſſit conſilium. Num, ſi quis tibia aliqua recte cantare didicerit, eadem tibia magis proderit alii cuidam, quam quaecunque alia? aut ſcalpellus aliquis, ad recte ſecandas venas, alii, qui non in hoc genere eſt exercitatus ipſe, quicquam proderit, etiamſi tu vſu illius mirificus in venarum ſectione extiteris artifex? At vero librum ita interpretari, vt verbum de verbo reddatur, praeter puerilem quamdam inſtitutionem non alium fere praeſtat vſum. Verum interpretationem, vt Graecorum, ita etiam Homeri, quam Quinctilianus, optimus huius rei magiſter, praecipit, et Virgilio v. c. placuiſſe videmus, eam vtilem et probandam eſſe nosmet ipſi ducimus. Quinctilianus quidem Inſtit. Orat. N. 5. praecipit; *neque ego παράφρασιν eſſe interpretationem tantum volo, ſed circa eosdem ſenſus certamen atque aemulationem.* Quem locum vtinam legant, quicunque e noſtris ad interpretationem alicuius Graeci vel Latini Auctoris accedunt, vbi egregia continentur praecepta de natura imitationis, quam longe praeſtantiorem omni vulgari vertendi ratione exiſtimamus multis de cauſſis, quas hic commemorare nihil attinet. Ex latinis quidem, quis melius rem declarat quam Virgilius? qui ſolus, quomodo Homero ad formandum ingenium vtendum eſſet, ſat luculenterque oſtendit. Eum enim legiſſe iterumque relegiſſe Homerum quam diligentiſſime, huncque vnum, quem imitaretur, in ſcribenda illa diuina Aeneide ſibi propoſuiſſe, excellens eius poſteritati traditum opus docet, quo nomen famamque ſibi comparauit tantam, vt, non ſolum Quinctiliani teſtimonio, *Homero ſecundus eſſet, proprior tamen primo quam tertio*, verum etiam caeterorum eruditorum iudicio, ſi non dictorum grauitate, cogitationumque ſublimitate, certe ſubtilitate, et elegantia, et vrbanitate multis in locis antecelleret. Quae ſi contemplamur, hunc, quem ex verſione Homeri germanica publice edenda vſum ad auctorem eiusdem redundare aſſerant, tum quidem

dem nullum esse apparet, si in versione persistat tantum, fieri vero praeclarum, si intellecto sensu Homeri, eum imitari, atque in suum vsum conuertere, sibi proponat, vtpote cum ita Homerus suum retineat honorem, vsusque, qui inde expectetur, praestantior eueniat.

At vero, obiiciunt, omne hoc consilium suscipitur eorum gratia, qui, Graeca cum ignorent, cupiunt tamen diuinum Principis Poëtarum ingenium cognoscere. Verum etiamsi fieri posset, vt Germanica conficeretur interpretatio, quae admodum Graecum referret Homerum: non tamen sequeretur, vt illud consilium a vanitate esset liberum. Etenim primum vim ingenii Homerici assequi non poterunt, nisi qui litterarum Graecarum sint periti, et in antiquitatibus versatissimi. Nisi tibi est notitia opinionum, rituum, et institutorum, antiquissimae Geographiae, Historiae, artis naualis et militaris, disciplinae publicae et priuatae, multarumque aliarum rerum, quae e diligente veterum lectione cognoscuntur; vel haerebis multis in locis, vel Homerum non minus fortasse tanquam stolidum, ineptum vituberabis, quam Peraultius, aliique, qui expertes litterarum Graecarum, nihil rectum, bonum, elegans, nisi quod ipsorum moribus conueniret, putarunt. Deinde, qui ad emendationem morum ex Homero in mercatores mulierculasque, (his haud dubie interpretandus est,) redundare dicuntur fructus; quamuis est doctrinis ad vitam emendandam, cultum diuinum celebrandum plenissimus, cum tamen figuris imaginibusque poëticis, superstitioneque gentili inuoluta sint praecepta, et in tam amplo opere nimis dispersa reperiantur, quae ab istis, vel plane non, vel male certe intelliguntur: sane vel nulli, vel admodum erunt exigui huius lectionis fructus. Denique linguam nostram fieri ita locupletiorem arbitrantur, verbis non solum, sed etiam imaginibus, eiusque famam apud exteros augeri. Atque omni id laborandum esse studio, vt eam excolamus, cum ita et ipsa Germanorum fama nomenque augeatur, sitque quod peregrini frustra saepe sint conati. Verum enim vero parum istius vtilitatis oriri ex versione Homeri facile intelligitur, si res iudicii aequitate veritatisque trutina ponderetur. Nam linguam Germanicam inde verbis non fieri locupletiorem, quis est quin videat? cum noua non inueniantur verba, sed Graeca tantum communibus, et vsu tritis Germanicis tradantur. Quodsi enim, interpres nouis fingendis verbis et dicendi formis ab vsu recesserit loquendi: haud dubie incurreret reprehensiones, nec optima, quae quaerebatur, inueniretur poëtae interpretatio.

Quae autem in Homero reperiuntur imagines, licet praestantissimae et frequentissimae, versione ob linguae diuersitatem obscurantur et corrumpuntur. Quare tum demum de illis Germanica lingua gloriabitur fortasse, si ipse diligenter legatur Homerus, et a viris ingenio iudicioque excellentibus in vsum vertatur, vt scriptis eius vim imitentur, quae cum nostro conueniat dicendi genere. Qua quidem ratione famam, et linguae, et Germanorum ipsorum, crescere posse puto longe melius, quam vlla versione, quam nemo exterorum leget, si vel fuerit optima, cum persuasum sit, interpretem semper in versione magis inhaerere genio linguae, ex qua versio fiat, quam illi, in quam transferatur auctor. Vt enim propriam et genuinam perspiciant dicendi rationem, ea propter exteri Germanicos legunt libros, quod vere longe satius confici recte arbitrantur, si librum, in quo omnes cogitationes Germanicae sint, legant. Deinde nulla fere est lingua, cui non traditus sit Homerus, plurimisque earum, cum Graeca magis conuenientium, perfectius longe, quam Germanicae vmquam tradi potest, id quod paullo post demonstrabimus. Itaque imitationes Homericae, quae re et elegantia eum exprimant, nec verbis tantum inhaereant, nomen Germanorum augebunt. Quod quidem exempla virorum Germaniae clarissimorum luculentissime ostendunt, e quibus Wielandum nominasse sufficiat, qui sane nomen Germanorum scriptis magis illustrauit, quam omnes, qui existerent alias, Homeri interpretes. Sin vero nostri homines in Graecis Latinisque interpretandis Germanice id agunt, vt cognitionem Graeciae antiquae et Latii litterarum nobis extorqueant, liberentque a necessitate, et, quae ipsis forte videtur, molestia discendi, homines molles et ignauos: profecto istius consilii vanitatem et noxam non est, quod ostendamus, cum non philosophorum rationibus, sed cura manuque medicorum egere videantur isti, qui tam peruerse et male sentiant de rerum natura.

At, si vel concederemus, posse quosdam saltem fructus ex versione Homeri Germanica oriri: non tamen conficitur inde, id quod confici nonnulli opinantur, vertendum esse Homerum, quia damna, quae inde oriuntur, haud dubie omnem fructum longe superant. Nam sane ita periculum est, ne pereat Graeci sermonis cognitio, et plane in obliuionem contemtumque hominum veniat. Nam quamquam, praeter Homerum, plures alii extant auctores, quorum dignitas et praestantia tanta sit, vt quam maxime Graecus discendus sit sermo: cum tamen orationis suauitate, et bonitate inuentionis, quae in carminibus Homericis inest, in-

 primis

primis alliciantur, et adeo quamdam litterarum Graecarum necessitatem sibi impositam putent plerique nostrum, si qui ad Graecum Homerum cognoscendum accedunt, iidem caeteros auctores non aeque dignos putabunt, ob quos in lingua discenda sudent. Nec sine lectione Graeci Homeri caeteri Graeci scriptores recte possunt intelligi, cum rationes multorum dictorum ex eo haurire debeas, plurimaque reperias loca, quae ad Homerum necesse debeant referri. Nam omnes existimarunt, Homerum esse fontem ingenii et bonarum sententiarum. Hinc legebant eum sedulo, certatimque imitabantur, quicunque orationis venustate pulchritudineque sententiarum lectoribus probari volebant. Quodsi autem haec barbaries grassari coeperit, vt Graeca nec curentur nec intelligantur: de eruditione vniuersa sane male agetur. Quae enim vera est eruditio, eam fere omnem in veterum scriptis, praecipue Graecorum, reperiri, nemo facile, nisi mente sit captus, negauerit. Quodsi igitur versio Homeri Germanica efficit, vt Graecus sermo non solum negligatur, sed ne disci quidem possit; merito eadem prima bonarum litterarum pernicies habenda est, cum ita ipsi verae eruditionis fontes quasi exsiccentur. Id quod cum experientia, tum natura rei, et suus quemque vsus satis docet. Galli quidem, qui olim, cum maximo studio veterum, praecipue Graecorum, legerent scripta, et ex iis ingenia sua formarent, omni cum laude floruerunt, iam vero, pruritu quodam et coeco erga linguam suam amore impulsi, omnia in eamdem vertentes, a pristino famae fastigio deciderunt: atque cum ita aditus ad alios, nondum a se translatos, legendos, iis sit praeclusus, ea scribunt, quae noua ducunt, a veteribus vero iam diu excogitata, vel rationibus, quae eos lateant, explosa atque refutata. Hinc fit, vt imbuti et occupati opinionibus, quae hypotheses dicuntur, nihil vel noui, vel attentione digni, si rem recte existimaueris, proferant. Et quis nescit damna, quibus studium sapientiae, quam Philosophiam vocant, ex versionibus latinis librorum Aristotelis affectum est? Nam cum medio aeuo, pro barbarie istorum temporum, vbi Graeca nec curabant, nec intelligebant, et ingenium, bonis litteris subactum, deerat, Scholastici essent cupidi cognoscendi Aristotelis, cuius ingenium et subtilitatem, vti est, forte audiuerant esse admiranda: inuenti sunt, qui hanc Philosophorum gregi nauarent operam, vt interpretari latine conarentur Aristotelem. Verum in tanta Graecarum litterarum inscitia et negligentia, coacti sunt boni interpretes eodem modo fugere ad Aristotelem Arabicum, quo vulgus nostrorum interpretum ad Gallorum versiones. Atque

ita

ita effectum est, vt, et ille Philosophus, ante ab Arabibus haud semper bene versus, iam plane contorqueretur peruerteretur que miserum in modum, et Philosophia ipsa barbarorum vocabulorum segete, rerumque ieiunarum ac futilium mole obrueretur et deprauaretur quam grauissime. Igitur si nostris versionibus Graecum Homerum eiecerimus et Germanicum induxerimus: futurum est, vt tandem neque Homerum ipsum intelligamus, neque alios Graeciae libros praestantissimos recte cognoscamus. Praesertim, cum nullo modo recta et absoluta Poëtae versio exspectari posse videatur. De qua re nunc in altera disputationis huius parte videbimus.

Versionem rectam et absolutam dici, quae non modo easdem, quae sunt in Auctore, sententias, sensumque verborum referat, sed eamdem quoque orationis formam, elegantiam, concinnitatem et suauitatem afferat, ita constat, vt rationibus res non egeat vllis. Nam, si in alterutram partem peccaueris, vt, vel vllum rerum, elegantiae, et suauitatis genus praetermiseris, quod aderat, vel ipse addideris, quod aberat, vel alia ratione quacunque mutationem induxeris aliquam: efficitur tuus, non vero Graecorum et verus Homerus. Suauitas vero, quae ex Homerica elocutione percipitur, (de suauitate, quae ex inuentionis praestantia efficitur, hic non loquor) varia et multiplex est iudicanda. Etenim non modo cernitur in delectu verborum exquisitorum et rebus aptissimorum, sed etiam in ordine et positione, in metri grauitate, numero, et sono strepituque litterarum et syllabarum, rei naturam egregie imitantium, aliisque virtutibus, quas ad elegantiam ornatumque orationis recte referunt Rhetores. Quorum igitur si vel vnum neglexerit, seu, vt verius dicam, praetermittere ob vtriusque linguae diuersitatem coactus sit interpres: manca et imperfecta relinquitur interpretatio, nec, quae quaeritur, efficitur perfecta, et suis plane numeris absoluta. Quam difficile autem illud habendum sit, imo a rei natura prorsus abhorrens; per partes demonstrare conabimur, sed ita, vt breuitatis ratione habita, non nisi aliquot, easque praecipuas, quae nobis quidem videntur, afferemus rationes, vnde nostrorum appareat interpretum vanitas. Quodsi quis consideret, quanta sit vtriusque linguae in flectendis singulis verbis, deriuandis, et componendis diuersitas; item, quot iidemque diuersissimi canones sint, quibus vtraque adstringatur lingua propriis; is, vt omnino nullam vllius scriptoris Graeci, ita multo minus Poëtae, vbi longe maior obiicitur difficultas a legibus metri, et aliis, quibus vti Poëtae solent, figuris et mutationibus verborum, perfectam fieri posse versionem facile intelliget.

 Nam

Nam ſi leges carminis, quae de metro et aliis ſunt, orationem liberam eſſe non ſinunt, ſed ſaepenumero ingenium quaſi cogunt, alia omittere, alia ſequi, etiamſi Poëta ipſe fingit, nec aliena exprimit: quid tandem futurum eſt, vbi alterius eſt interpres, nec quicquam addere noui licet, nec, quod antea aderat, aut certe illius vim, formam et pulchritudinem imminuere? Ex panno quidem nouo et integro veſtem concinnam et aptam facile conficit ſartor, verum non aeque facile fieri poteſt, vt veterem veſtem ita immutet et transformet, vt alia conficiatur, quae conueniat admodum corpori, et magnitudine et forma plane diuerſo, nulla ſuperioris veſtis particula praetermiſſa, aut noua aliqua addita. Quod ſartor hic efficere non poteſt in mutanda veſte, id multo minus in carmine vertendo praeſtare poſſe exiſtimandus eſt interpres, quippe maior difficultatum, quae hic occurrunt, eſt multitudo. At non eſt, quod quis carminis legibus ſeſe ſubiiciat, cum verſio ſententias easdem, ſine metro, oratione ſoluta, aeque poſſit exprimere. Falluntur egregie, qui ita ſtatuunt. Etſi enim non negamus, fieri poſſe, vt oratio, a legibus verſus libera, ſenſum verborum et rerum eundem referat, qui ſit in carmine: non tamen eadem forma relinquitur et elegantia, ſed plane frigida, inconcinna et ridicula efficitur oratio. Poëſis enim verborum quorumdam proprietate, ſublimitate ſententiarum, troporum frequentia audaciaque, et ſimilitudinum copia, aliisque nonnullis rebus, quae ſunt carminis ornamenta, quam plurimum differt ab oratione pedeſtri et ſoluta; in quam ſi intuleris, quae carmini ſunt propria, coelum et terram, vt ita dicam, miſcueris, et *humano capiti*, inſtar pictoris Horatiani, *ceruicem iunxeris equinam*, ſeu, cum ſpecie rationis inſanieris. Deinde Germanica lingua, vt nulla recentior, quae nobis quidem nota eſt, ne latina quidem, tam facile flecti poteſt, vt inde compoſita oriantur, quae a ſuauitate et analogia linguae non abhorreant. At Graeca lingua tam tenera et flexibilis reperitur, vt facile ſequatur, quocunque torqueas, atque inſtar mollis cerae, omnes formas recipiat, quascunque imprimas ſiue inflectendis nominibus et verbis, ſiue in componendis plurium rerum notionibus, ſiue etiam in diuellendis compoſiti partibus, vbi vel verſus menſura, vel ſuauitas ſoni rem poſtulauerit. Vt igitur illa virtus aptiſſima eſt ad carminis rationem Graeci, ita quam maximas parit difficultates interpreti Germano, cuius lingua tam dura eſt, vt raro componendi concedat breuitatem. Igitur interpres cogitur, vel compoſiti Graeci vim pluribus verbis declarare, atque ita rationem breuitatis et ſuauitatis, quae interdum haud mediocris eſt, habere nul-

lam,

lam, vel, vt breuitati consulatur, sensum imminuere et frangere. Quam valde autem vtrumque a consilio abhorreat, facile intelligitur. Compositorum verborum, vt omnino apud Graecos, ita inprimis apud Homerum, sunt duo genera; alterum comprehendit ea, quae sensu quidem et vi a simplicibus non differunt, sed, aut numerum quemdam, sono et rei grauitati aptum, efficiunt, aut metro, salua elegantia, seruiunt, veluti προϊάπτειν, Il. ά, 3, et aliis in locis, vbi Cel. ERNESTI verissime iudicat, errare, qui per *praemittere*, aut *praematurae et acerbae morti aliquem tradere* l. c. explicent; esse enim simpliciter *mittere* seu *dimittere*: alterum complectitur ea, quibus plures subiectae sunt notiones, v. c. ἐπευφημεῖν Il. ά, 23. *acclamare, clamore et acclamatione rem comprobare*; ἀφαμαρτοεπὴς, γ΄, 215. *qui verbis non errat, s. qui non propria sed tropica vtitur oratione.* Tum necessitas verborum auxiliarium apud Germanos in temporibus praeteritis et futuris, pronominumque personas significantium vsus, sermonem tenacem, asperumque reddit, atque longa circuitio anfractusque, quo circumscribatur oratio, magis ad vocem obtundendam pertinet, quam ad aures delectandas, sensumque illustrandum confert. At iste inutilis verborum strepentium apparatus longe abest a Graecae linguae ratione, quae ita breuior, sed aeque perspicua, sed multo suauior est. Haec enim, vt Latina, flectendo tantum atque nonnullas litteras mutando, omnem absoluit temporum personarumque differentiam. Si itaque in Poëta celeritas visque, quae verbis breuibus simplicibusque inest, reperitur, ea in versione Germanica non poterit retineri; in verbo, veluti, *ἅλλομαι*, sonus ipsam salientis celeritatem imitatur, verum quanta mora, naturae rei plane contraria, inest Germanico, *ich springe.* Si Poeta canit σὺν τεύχεσιν ἆλτο χαμᾶζε; egregie sunt expressa, sed est secus in Germanico, mit *den* Waffen *sprang er auf die Erde.* In θρέξω res breuiter, vti par est, absoluitur, sed in *ich werde lauffen* inutili tarditate et mora retinetur. Vt nihil dicamus de eleganti et vario participiorum vsu, qui in Graeca et Latina lingua frequentissimus est, quorum breuitatem et elegantiam Germanicae linguae asperitas assequi non potest. Est quoque positus verborum, apud Germanos arctioribus longe adstrictus legibus, quam apud Graecos et Latinos, qui legibus linguae saluis, possunt sequi ordinem rerum, quem numerus, sonus, et rei natura postulat. Si illud Horatianum, *Parturiunt montes, nascetur ridiculus mus*, verteris, vti Ramlerus, ceteroquin homo ingeniosissimus, *Der greissende Berg wird eine kleine Maus gebehren:* omnis versus gratia perierit. Nam verba sonantia, longa et grauia, quibus ab initio versus incedit, promittunt

rem magnam, incenduntque auditoris exſpectationem: finis autem verſus leuitate et breuitate mirifice ad rei futilitatem et vanitatem ſignificandam, riſumque excitandum eſt aptus. Neutrum vero Germanus aſſequi potuit. Referta ſunt Homeri carmina exemplis eiusmodi, quorum non niſi vnum, vt breuitati conſulamus, proferre ſufficiat; in verſu Il. ά, 34, Βῆ δ' ἀκέων παρὰ θῖνα πολυφλοίσβοιο θαλάσσης, diſpoſitionem numerorum Chryſem, cogitatione defixum, mirifice depingere, recte vidit Clarkius. Igitur niſi interpretatio Germanica eamdem diſpoſitionem retinuerit, quod vix fieri poſſe nobis videtur: gratia verſus Germanici omnis perierit. Praeterea particularum, quae, cum per ſe ponuntur, tum cum aliis coniunguntur, frequens et is exquiſitiſſimus eſt vſus, quem aſperitas Germanica rariſſime admittit. Nec enim putandum eſt, metri cauſſa tantum poſitas eſſe illas, et ſenſu inanes, id quod ab Homeri ingenio, qui Graecam linguam perfecte nouerit, eſt alieniſſimum. Atque vt hae particulae ſaepenumero intelligentiam reddunt difficilem: ita interpreti Germanico haud mediocrem parere putandae ſunt difficultatem, quam ſuperare linguae barbaries et aſperitas non ſuſtinet. Sic particula δὴ ſemper vim addit orationi, ſed non ſemper vno modo eſt vertenda. Nam apud imperatiuum eſt *quaeſo*, in interrogatione ſignificat *tandem*, in reliqua oratione vim habet fere formae, *vti res eſt*, *vti prababile eſt*, *de qua re dubitare nefas eſt*, etc. Quamquam non negauerimus, Germanos ipſos poſſe interdum bene exprimere per particulas, veluti *wohl*, *doch*, *freylich*, *eben*, v. c. νῦν δὴ, *eben ietzt*, vel, *eben vorhin*, etc. nec tamen ſemper et vbique fieri poteſt, nec eadem breuitate, quae in Graecis ſingularem efficit elegantiam et ſuauitatem. Particula μὲν fere ad particulam δὲ refertur, connexionemque ſuauem inducit: ſed, vt neque ſemper in Latina lingua reddi poteſt, ita elegantia eius et vſus a Germanica plane exulare cogitur. Γε, quod pronominibus, perſonalibus maxime, aduerbiis, aliisque verbis iungitur, plerumque quidem a Latinis commode reddi poteſt, per *quidem*, *ſane*, *certe*, ſed Germanus niſi ineptire malit, abſtinere cogitur, aut certe circuitione frigida et moleſta vti. Particula γὰρ elegantiſſime ſaepe ponitur, ſic vt ellipſin totius ſententiae indicet. Ratio vero Linguae Germanicae a tali vſu particulae *denn* abhorret. Res igitur ſi negligitur ab interprete; verſio accurata et fidelis non eſt: ſin ſententia omiſſa reſtauratur; oratio efficitur longitudine ſua inutili faſtidioſa, atque haud mediocris tollitur elegantia. Non eſt, quod multus ſim in demonſtrando vſu, et exquiſita elegantia Graeci ſermonis particularum, cum Deuarii aliorumque doctiſſimorum hominum libelli obſeruationesque ſatis ſint cognita.

Ma-

Maxima vero difficultas oritur ex vſu epithetorum Homericorum frequentiſſimo, quae non modo perſonis, ſed caeteris quoque rebus tamquam perſonis fere tribuuntur. Is quidem vſus Homero licet, et in ſua lingua, ſuoque tempore admodum elegans videtur, a noſtra vero dicendi ratione, etiam poëtica, abhorret quam longiſſime. Sunt vero epitheta apud eum non vnius generis, quae, quo melius rem definiamus, epitheta diſtinctionis, et naturae appellemus. Quorum priora ea ſunt, quae rem ab aliis diſtinguunt, ideoque maxime ſunt neceſſaria. Facile igitur patet, ea vtramque linguam in vtroque genere, proſaico, et poëtico ferre, in iisque difficultatem plane eſſe nullam, v. c. ſi Thetidis pater vocatur ἅλιος γέρων, id quidem optime in quamlibet poterit verti linguam, cum ita ab omnibus aliis diſtinguatur. Verum de epithetis naturae, ſignificantibus rem, quae ſemper et vbique de eodem nomine poteſt dici, quorum vſus eſt frequentiſſimus apud Homerum, non vno modo eſt reſpondendum. Si qua vim argumenti habent, v. c. Deus *omniſcius* te non ignorabit; ea Germanicae quoque et caeteris conueniunt linguis: ſin plane nullam diſtinguendi poteſtatem habere videntur, v. c. *naues cauae, pedibus celer* Achilles etc. eorum vſus ne poëtis quidem noſtris eſt conceſſus. Verumtamen ſi ab interprete negliguntur; aliqua elegantiae Homericae pars perit. Nam Virum v. c. a maioribus, aut facto aliquo inſigni, aut virtute eximia appellare, ad dignitatem pertinere olim eſt exiſtimatum. Sic Agamemnon Il. κ', 68, auctor eſt Menelao, vt ad reconciliandos animos principum humanitate et comitate a patria ſtirpe ſua quemque compellet: Πατρόθεν ἐκ γενεῆς ὀνομάζων ἄνδρα ἕκαστον Πάντας, κυδαίνων. Hinc mirum non eſt, ſi, praeter perſonas, rebus quoque vitae expertibus paſſim eiusmodi epitheta tribuuntur, propterea, quod crebrior eſt apud Homerum proſopopeiarum vſus, quam vulgo putatur.

Satis de verbis ipſis et ſententiis; reſtat, vt paucis dicamus de ſono litterarum et vocum, earumque numero, ad rei naturam exprimendam admodum apto, vnde aliud, idque longe maximum, infertur interpreti impedimentum, quo minus verus et elegans reperiatur et expediatur Germanicus Homerus. Ex ingenti exemplorum multitudine pauca tantum proferemus. Sic veluti in vocibus πολυφλοίσβοιο θαλάσσης, ſonus ſibilans ſtrepitum vndarum fluctuantium et ſeſe percutientium imitatur: ἔκλαγξαν, nihil melius quam vocabulum hoc ideam clangoris exprimit. Il. α', 249. Τοῦ καὶ ἀπὸ γλώσσης μέλιτος γλυκίων ῥέεν αὐδή, coniunctione apta vocalium, et blando ſono inde effecto, ipſa Neſtoris oratio blanda exprimitur elegantiſſime. Frequentia litterarum ο, Il. γ', 133, Ἐν πεδίῳ,

δία ὀλοοῖο λιλαιόμενοι πολέμοιο, grauitatem rei et clamorem militantium imitatur: et spondaei frequentes ibidem qui sunt in μακρῆς ἐγχείησι μαχήσονται, significant ipsarum hastarum longitudinem, et moram mulieris in narrando ad rem ipsa manu et corporis gestu demonstrandam. cf. δ', 451. ϑ', 199. Ὁμοιοτέλευτα Il. β', 382. seqq. Ducis grauiter praecipientis et ad pugnam incitantis vocem mirifice exprimunt; Εὖ μέν τις δόρυ θηξάσθω, εὖ δ' ἀσπίδα θέσθω, Εὖ δέ τις ἵπποισιν δεῖπνον δότω ὠκυπόδεσσιν, Εὖ δέ τις ἅρματος ἀμφὶς ἰδὼν, πολέμοιο μεδέσθω. Atque Il. α', 432. numeri, nauis ingredientis portum et agitatae fluctibus agitationem exprimunt, atque difficultatem egrediendi e nauibus per littus v. 436-439. ostendunt, vbi et multi reperiuntur spondaei, et in pede secundo caesura deficit. Vbi celeritas quaedam indicatur versus ipse currit, vid. Il. α', 149. γ', 133. etc. Vbi varia est ratio sententiae, varius quoque est numerus, sic, Il. α', 197. Στῆ δ' ὄπιθεν, ξανθῆς δὲ κόμης ἕλε Πηλείωνα, initium celere est, vbi restitit Minerua, versus quoque quasi stat; in fine spondaeis exit versus cum lente admodum actio ista fieri possit. Finis quoque versus, in simplex verbum exiens, semper quamdam conuenientiam cum re exprimenda habet, sic, Il. α', 45. magna indicatur Chrysae perturbatio; ε', 4. flammae splendor, celeriter oriens, itidemque subito occidens, monosyllabo exprimitur. Vt omittam cantum lusciniae Odyss. τ', 521 seqq. descensum Neptuni, et currus velocitatem, Il. ν', 17. 18. et sexcenta alia, quae vel aliis iam sunt obseruata, vel facile quiuis obseruare poterit. Quodsi igitur hoc elegantiae genus in proprietatibus quibusdam linguae, litterarum et syllabarum vel asperitate vel mollitie, vocum tono et mensura, et aliis admodum subtilibus rebus cernitur: facile intelligitur, non communes esse posse linguae, quae inprimis minus flexibilis, minus mollis et elegans reperitur.

Etsi vero, VIR DOCTISSIME, aliis nonnullis argumentis, iisque forte haud infirmis, vanitas Homericorum interpretum, quos a TE saepe derideri memini, ostendi posse videtur: ne tamen in re, apud TE adeo plane superuacua, multus et importunus esse videar, finem disputationis faciendum esse statuo: praesertim cum non ignorem, TE, rationes meas si non probaueris, certe rem ipsam non improbaturum esse. Nam satis persuasum mihi habeo, TE non magis TIBI Homerum Graecum, quem tantopere adhuc amasti, et quem TVAS delicias ruri fore confido, e manibus extorqueri a stultitia nostrorum hominum passurum esse quam mihi. Caeterum nihil magis rogo, quam vt PRAESIDEM nostrum, qui TE adhuc amauit magnopere, amabitque imposterum, societatemque nostram, meque, qui TVI sum studiosissimus, TVO amore perpetuo amplectaris. Vale. Scripsi Lipsiae. d. 23 Iul. CIↃIↃCCLXXII.